Epithalamia
Joh. Thoma. et.
1563

G 14470
4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

relat

dg. 14470.

4°. UB-Boks.

Bibl. Dan. III, sp. 1514

[Kun dette exemplar kendes ?]

– ogsaa et ex i Ups. UB

LN 1342

BD III, 1514

DET KONGELIGE BIBLIOTEK

130017588193

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

IOHANNIS
PRATENSIS

DAPHNIS.

Seu votum in Nuptias clariſsimi
*VIRI M. IOHANNIS THOMÆ RI-
penſis, Eccleſiæ Hafnienſis ad Sanctam Virginem Pa-
ſtoris, & honeſtiſsimæ virginis Magdalenæ, natæ
patre prudentiſsimo, Matthia Anche-
rio ciue Ripenſi.*

*ET ALIA EPITHALAMIA
Scripta ab Eraſmo Catholmio, Eraſmo
Chriſtierno Randruſienſi, & Ca-
nuto Bramtio Hader-
ſlebio.*



Hafniæ
EXCVDEBAT LAVRE-
tius Benedict.
1563.

B.U.H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Ἐς τὸν νυμφίον Ἰωάννην τὸν Θωμᾶ τῶν θείων λογίων ἀβνιάθι προστάταν.

ἀντήριστοι ταὶ ταῖς Χάριτες πόκα Μώσαις,
πράγματ᾽ ἔχειν τὰ γάμω ὡς ἐθέλοντι τεῶ,
γλυκερὰν ποτὶ δῶ ζατοῖσαι πάντοσε νύμφαν.
τὰν ἄλοχον πρᾶταν μοῖρα γὰρ εἶλ᾽ ἐρατάν:
μέντοι τήναν, αὔτως ταὶ λῶντι δὲ τήναν.
φράσδεσθ᾽, ἀλλὰ μάταν, Κύπρι παροῖσα, λέγες.
τῶς δὲ γάμως γὰρ ἐγὼ φροντίσδω ἢ πλέον ὔμμες.
ὔμμ σὺν δωσῶ ἅντιν᾽ ἀρεστὸν ἔῃ.
ἅτις ἔρωτ᾽ οἰσεῖ καὶ μᾶλλον ἐράσμιον ὠυτῷ,
τᾶς κἠκατέρω κύμβρω παῖς χαριεργὸς ἔῃ.
τοῖος ὅσων γὰρ ἀνὴρ λάψαιτ᾽ ἂν παρθένον ἄλλως;
ῥιζόθεν ἃ κόφθη αἰτία πᾶσα κακῶν,
ἢ ἐκ πατρῴας, θεὸς ἂν δωρήσατο, χώρας,
ἴσοις ἐκτελέσαι ἤθεσιν ὧστε βίον;
καίτοι σπουδαίαν καὶ σεμνὰν δέξεται ἤθη.
ἀσκητὰν αἰδῶ, κόσμιον ἠδ᾽ ἀρετᾶν,
παῖδα δὲ βεντίστων γονέων καὶ ἀλαθέ᾽ ἐοῖσαν,
ἀμφοτέροντε καλὰν καὶ χρόα καί τε νόον.
τὰν δεξῶ δῶρον, θεὸς ἐς τῶ δώματ᾽ ἀνάξει.
νῦν τὺ Λεμῶνι ἔχρην πλατία λοιπὰ λέγεν.

Ἔρασμος ὁ Χριστέρνου
Ποταμοπολίτης.

IOHANNIS
PRATENSIS ARRHVSII

DAPHNIS.

Thyrſis. Lycidas. Moeris.

AStrorum nitidos aurora fugauerat ignes,
Humentemq; polo Phœbus dimouerat vmbram:
Egreſſi ſtabulis primum ſub lampadis ortum,
Compulerantq; ſimul diſtentas lacte capellas
Thyrſis cum Lycida: celſam quà proſpicit vrbem
Valbiacos inter montes camposq; patentes
Frondenti latè veſtitus gramine collis:
Errabant, ætate pares, & verſibus ambo
Inſignes, ambo villoſæ pellibus vrſæ
Induti, & ſacra redimiti tempora quercu:
Cum Thyrſis prior. ô Lycida pars maxima noſtri, Thyr:
Si iuuat hoc poteris mecum pauliſper in antro
Conſediſſe, vides læta vt claudatur ab vmbra,
Grataq; frondentes faciant vmbracula rami,
Et circum volucres, lucemq; diemq; ſalutent
Curarum immemores, liquidus dum incanduit aër,
Phœbus & auroram natalibus educat vndis.
Rectè equidem Thyrſis, dum gramina læt[illegible] capellæ Lyci:
Lanigerumq; pecus tondit, fuſumq; [illegible] herbas
Ruminat, & lætis ſaturantur frondibus [illegible]di,
Dic rogo Valbiaco diductum ceſpite carm[illegible]
Cum ſua currenti repararet cornua [illegible], Thyr:
Iungeret & bigas fraternæ lampadis igni[illegible]

Noctis

Noctis honos, cœliq; decus Latonia Phœbe,
Syrius auroram Nabathæaq; regna teneret,
Inachides Perſeus, & Phorcidos ora Meduſæ,
In medium ſubuecta polum, quà Cynthius vmbras
Contrahit obſcuras, medioq; illabitur orbi:
Fortè quieſcebam viridi proiectus in vlua,
Hic vbi ſublimi conſurgit vertice collis:
Carmine pallentes curas durosq; labores
Solabar Lycida, & veteres meditabar amores:
Deluſum verbis ut me Galatæa reliquit,
Atq; alium comitata virum, per deuia ſaxa,
Incultosq; agros, inter ſtabula alta ferarum.
Tantæ molis erat Paſtorem fallere Thyrſin.
Hæc ſubeunt mentem Lycida, tum ſæpius urbem
Intueor, celſis quæ ſcandit mœnibus auras,
Aëriasq; domos miror, turrimq; ſuperbam.
Tum pictas numero puppes, quaſq; ordine longo
Percepi tremula contentas fune carinas.
Ad maris Heſperij littus Solemq; cadentem
Hinc flexi vultus, quà ſe Languoſius amnis
Effert, limoſa præcingens gramina ripa.
Hìc ſubito ô Lycida latè volitantia cerno
Signa Ducum, forteſq; viros, validasq; cohortes:
Quocunq; aſpicerem, quantum monſtrabat Horizon
Occiduus, Cyclo noſtrum qui diuidit orbem,
Nil niſi miles erat. [illegible]c cum per paſcua læta
Innumeri paſcuntur oues, latè omnia circum
Prata tenent, vallesq; imas longo ordine complent:
Illi errant, pauca paſtor flat carmina canna.
Haud aliter cuncti properant, montemq; virentem

Aſcen-

Aſcendunt, collem contrà; qui plurimus vrbi
Imminet, aduerſasq; aſpectat deſuper arces:
Ingens fit ſonitus Lycida, tum ſtridulus aër
Eliſus lituis, campos collesq; ſupinos
Territat, horribiles reddunt caua Tympana voces.
Obſtupui, gelidusq; coit formidine ſanguis:
Diffugiunt armenta, boues, ſimæq; capellæ,
Lanigerum pecus, & caris cum matribus hædi.
Ipſe ego ſpeluncam, qua nunc conſedimus ambo
Conſcendi, donec celſam gradiuntur in vrbem.
Ergo age ô Lycida, hæc ediſſere vera roganti,
Quò molem hanc numerumq; virûm ſtatuere? quis autor,
Quidue petunt? quod Martis opus? quæ Machina belli?
Dicam equidem Paſtor, grata quæ Mopſus in vmbra Lyci:
Narrabat nuper, nec me labor iſte grauabit.
Sylua iacet medio ſub ſydere Mœnalis vrſæ,
Sylua antiqua, ingens, multosq; intacta per annos:
Hæc eadem argenti riuos, ærisq; metalla
Oſtendit venis, atq; auro plurima floret.
Hanc habitat montes inter, muſcoſaq; ſaxa
Paſtor agens pecudes, dulcis quem IRenicus ille
Noſter amor, toties, tot iam labentibus annis,
Carmine certantem paſſus, viridiq; iuuenta
Ludere quæ vellet calamo permiſit agreſti:
Nunc vltra læſos non fert IRenicus agnos,
Et redolens ſertum Thyrſi, inſignesq; corollas,
Quas illi nuper dederat ſua cura Lycoris
Ereptas dolet, & memori ſub pectore verſat.
Ergo ſuum meritò repetit, fortiq; coactus
Munera rapta manu, iuſtoq; repoſcere Mart Thyr:

Lyci: *Rem memoras Paſtor: ſtant alta mente repoſtæ*
Lithiſci inſidiæ, veterisq; iniuria fraudis.
Hoc etiam patula prædixit ab ilice Cornix
Applauſu alarum ſtrepitans, roſtroq; minaci,
Hic vbi pendentes nidos, tectumq; laremq;
Struxerat in Boream, & ſeptem conuerſa triones.

Thyr: *Quis precor ô Lycida caſus, cantantibus, vltro*
Mittit ab vrbe domum procero corpore Moerin,
Quo melius non alter agit pecudesq; bouesq;?
Sis fœlix quacunq; venis, ô dulce laboris
Solamen noſtri, ſolito quid lætior? vnde
Florida ſerta virent, & trita cantharus anſa
Fiſtulaq; imparibus ſeptem compacta cicutis
E collo pendent? & circum tempora myrthus
Crebra micans latè gratos conſpergit odores.

Moe: *Non vos per numeros, aut longa exorſa tenebo*
Paſtores, DAPHNIS Daphnis ſuper æthera notus,
Syluarumq; decus, quo non præſtantior alter
Cornigeros curare boues, timidasq; capellas,
Daphnis noſter amor, laus & ſpes altera fontis
Pegaſei, Daphnis magnum decus orbis & vrbis,
Triſtia qui doluit iamdudum funera caræ
Coniugis, en aliam Parnaſi è culmine montis
Pegaſides mittent Muſæ, propriamq; dicabunt,
Cúm Phœbus radijs Aſtreæ virginis aſtrum,
Ingreditur, nitida nubetq; in Virgine virgo.

Thyr: *O decus, ô ſi quæ toto ſunt gaudia mundo*
Hunc vnum decorate diem, quo Daphnidis ignes
Cogr[illegible]i, & lætos audiui lætus amores.
Sed [illegible], dic Paſtor, fauſtum & memorabile nomen
Virginis,

Virginis, optatam patriam, caroſq; parentes.
Namq; iuuat calamis præclari in Daphnidis ignes
Dicere Valbiacum diductum ceſpite carmen.
Vrbs iacet, Oceanum quà ſpectat Cymbrica latè Moe:
Cherſoneſus, & Heſperia lauit æquora ripa:
Vrbs antiqua potens, clara notiſsima fama,
Illuſtri RIPAS noſtri quem nomine dicunt:
Nam maris Heſperij toties violatur ab ira,
Obijcibus ruptis quoties maria alta tumeſcunt.
Hæc genus acre virûm, & claros produxit alumnos,
Hinc ortus (ſi forte tuas peruenit ad aures)
PALladius celebris, celebris ſimul arte medendi
IAnus, quem toties mirata eſt clara canentem
Sequana, quæ Muſis ſacratam diuidit vrbem.
Hinc ortus Daphnis, ſponſa eſt hinc Daphnidis orta,
Claraq; auis, atauiſq; potens, dulciſsima virgo
Magdalis, hanc poterit quantumuis amygdala dulcis
Vix æquaſſe ſatis, mira dulcedine plenam.
Et virgo matura viro eſt, & flore iuuentæ
Fulget amans iuuenis, parq; eſt in vtroq; voluntas,
Alteriuſq; alter placido reſpondet amori.
Hanc ſi vidiſſet PHRYX olim in montibus Idæ,
Nec Iuno incedens ingens Regina, tonantis
Et ſoror & coniunx, nec quæ Iouis orta cerebro,
Nec Citherea Venus, clarum obtinuiſſet honorem.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.
Fortunate nimis Paſtor, cui ducitur vxor Lyci:
Magdalis, inſigni cuius de lumine lumen
Sydereum fulget, veneres quæ ſpirat ab ore,
Et blandos oculis iactat radiantibus ignes,

Illa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Illa tibi magnos veneranda è ſtirpe Nepotes
Producet, multa faciens te prole parentem.
Hinc tibi naſcentur Dam[illegible] Alphesibëi,
Queîs tantum calami tenues & carmina curæ,
Et voce & numeris doctos ſuperare Menalcas.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.

Thyr: Felix ante alias ô formoſiſsima virgo,
ô decus, ô lumen, quali iungere marito.
Illius argutum reſonat dum fiſtula carmen,
Aurataeq; canunt Cytharæ, cordæq; ſonoræ,
Suauiter inflectit ſenſus, mentemq; labantem
Impellit, cantuq; animos & pectora mulcet.
Huius carminibus ſiſtunt ſæua æquora fluctus,
Miteſcuntq; feræ, iunctiq; Leonibus hædi
Paſcuntur ſyluis, ſæuum poſuiſſe furorem
Non piget immanes vrſos, tygresq; feroces,
Dum canit auſcultant, arrectisq; auribus aſtant.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.

Moe: Orpheus quem ſolum mirata Diana canentem,
Carmine qui celſas deducere montibus ornos
Dicitur, hic nuper diuini nobile carmen
Daphnidis audiuit, viridi proiectus in vmbra,
Confringens calamos victus modulamine, dixit:
I nunc Calliope, natiq; extollere carmen
Perge nimis fidens animi, nunc tollito ad aſtra
Thrëicij Cytharam vatis, quà ſydere claro
Magnanimus ſedet Alcides Mauortius Heros,
Et latè enſiferum qui vexit Ariona Delphin:
Nunc age nunc audi vincentem carmine Daphnim,
Et gnatum ſuperare tuum, quin protinus Orphei

Deme

Deme lyram cœlo genitrix, aut iungere Daphnin
Ne pigeat, dulci vt ſaturentur carn[illegible] Diui:
Dixerat, & lachrymis ſ[illegible] rorantibus ora.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.
Ergo tuas grato dicemus pectore laudes, Lyc:
Cara Deûm ſoboles, tœdas ornare iugales
Cui placet, & ſociam ſocialis iungere lecti:
Cunctaq; Daphni tuum memorabunt ſecula nomen,
Cuncta per ora virûm volites, tibi thura, tibi aras
Paſtores vltro ponent, quas imbuet agnus
Sæpe tener, pubeſq; dabit tibi ruſtica lacte
Cymbia plena nouo, nec dedignabere dona
Haud templis aſſueta tuis, & fronde virenti
Intexent ſtrophia, ac bene olentia lilia plenis
Effundent Nymphæ calathis, & carmina dicent.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.
O læta ô nimium nimium lux candida ſyluis, Thyr:
ô lux, ô nobis, lux ô celebranda quotannis,
Daphnis qua ſponſæ, qua ſponſo Magdala caro
Iungetur, Lycida, Muſas ſaltare videbis,
Panaq; Syluanumq; ſenem, viridesq; Napæas,
Et cultas Dryades, ſylueſtria numina Faunos:
Et Cytherea Venus veniet, tum pronuba Iuno,
Ipſa ſoror quamuis, quamuis ſit nupta Tonantis,
Deſcendet cœlo fulgens, ſyluasq; parumper
Atq; humiles habitare caſas, lucoſq; virentes
Incipiet. Tantum delectant Daphnidis ignes.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.
Viuite felices, felicem ducite vitam Moe:
Magdalis & Daphnis, placido quos iunxit amore

Tarpeia de rupe tonans, pater atq; hominum Rex.
Omnia ſuccedant niueo ſignanda lapillo,
Proſpera cuncta fluant: ſeros viſura nepotes,
Naſcatur ſoboles, reddat quæ vtrunq; parentem,
DANIA qua exultet, qua exultet Cymbrica pubes,
Quæq; vtranq; domum factis ſuper æthera tollat.
Dicite Valbiacum Muſæ mihi dicite carmen.

Thyr: Diximus: arrident en vndiq; & vndiq; prata,
Et circum ſyluæ reboant, tum conſcius æther
Connubij, rutilo depellit nubila cœlo,
Phœbus & Heſperias pronus deſcendit in vndas,
Flammiuomosq; citus rubro lauit æquore currus:
Cogamus pecudes Lycida, tectumq; petamus.

Hæc ſunt quæ cecinit ſuper alti Daphnidis ignes
Pratenſis, tenera redimitus tempora myrto.

ELE-

ELEGIA IN NVPTIIS REVERENDI AC PROBI VIRI M. IOhannis Thomæ Ripenſis: & piæ ac modeſtæ Virginis Magdalenæ Matthiæ, honeſti ciuis Ripenſis Filiæ,

ab

ERASMO CATHOLMIO SCRIPTA.

Coniugij tædas ſpernit quicunq; pudicas,
Et Veneris turpi gaudet ubiq; thoro:
Excitat ille Deum, iuſtamq; incendit ad iram,
Et pœnas tandem pro leuitate dabit.
Diluuio totus perijt munduſne profundo?
Si cauſam quæris, cauſa libido fuit.
Alta nec excelſæ cecidiſſent mœnia Troiæ,
Si Paridem licitus continuiſſet amor.
Conatus fauſtè poterunt ſuccedere nulli,
Inceſto ſi cor flagret amore vagum.
At nimium fœlix, toto ſimul aſſe beatus,
Qui patitur ſancto colla ſubeſſe iugo.
Huic Deus ad latus eſt, hunc omni ſeruat ab hoſte,
Hunc multis ornat pro pietate bonis:
Id patet exemplis, cum ſacris tumq; profanis,
Quæ recitare modò noſtra Thalia uetat.

B.U.H.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Quapropter meritò laudandus, Chare IOHANNES,
Fœdera quòd ſubeas denuò caſta thori.
Caſta Deus mens eſt, caſtos quoq; diligit, ipſe
Caſtorum facili percipit aure preces.
Gratulor ergò tibi ſponſam, pie ſponſe, fidelem:
Præcipuum donum fœmina caſta Dei.
Gratulor atq; tibi ſponſum, pia ſponſa, fidelem,
Qui præſtet uitæ gaudia iuſta tuæ.
Aſpiret vobis fœlicia cuncta duobus,
Inſtituens fœdus connubiale Deus.
Firma regat veſtram ſemper concordia vitam,
In Domino ſit mens vna, ſit unus amor.
Vos etiam faciat numeroſa prole parentes,
Olim ſic potero compater eſſe nouus.
Viuite fœlices: tu viuas Neſtoris annos:
Illa Sybillinos proſperitate dies.

ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν.

Omnibus in rebus fœlici ludito dextra,
Si ſtatuas finem principiumq; Deum.

Epitha-

EPITHALAMIUM

IN NUPTIIS DOCTISſIMI VIRI M. IOHANNIS THOMÆ,

Paſtoris in Eccleſia Hafnienſi ad S. Virginem: & honeſtiſsimæ virginis Magdalenæ, ſponſæ eius, natæ patre Matthia Ancherio, ciue Ripenſi. Scriptum

à

CANUTO BRAMTIO
Haderſlebio.

CVm Deus ex nihilo miranda fecerat arte,
Quicquid habet tellus, ſydera quicquid habent:
Corpus de limo terræ formauit Adami,
Inſlauitq́ animam, viuus vt eſſet homo.
Rettulit hic ſummi formam ſpecimenq́ Tonantis,
Mens bona, velle bonum, motus & omnis erat.
Hunc Deus vt vidit, confeſtim talia fatur:
Non placet vt viuas ſolus, Adame, diu.
Ergò adiutricem fidam ſociabimus, omni
Tempore quæ vitæ poſsit adeſſe tibi.
At poſtq̃ totum ſopor altus habebat Adamum,
Prodijt é coſta fœmina caſta viri.
Copulat hos Dominus ſociali fœdere iungens,
Vt terram repleant multiplicentq́ iubet.
Tu procul hinc igitur Raſorum peſſima turba,
Res quibus eſt caſtus tetrica viſa thorus.
Autor coniugij Deus eſt, & amator honeſti:
Ille quod inſtituit, quis putet eſſe malum?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

O cinis æterni tu carpere facta Tonantis
Audes, quod mandat tu prohibere velis?
Presbyter haud carnem iuxta ſua tranſigit æua
Legitima affectans vincula ſancta thori.
Ille ſed indomitæ ſubmittit pectora carni,
Carnem qui dominam pneumatis eſſe facit.
Sancta Deo res eſt, thalamos ornaſſe iugales:
Huic quoq; virginitas inuiolata placet.
Si non grata forent ſocij pia fædera lecti,
Coniugij nunquam conſtituiſſet opus.
Quod ſemel inſtituit, toto ſibi perplacet æuo:
Non nunc ingrata eſt, res modò grata Deo.
Mortalis ſemper non ſtat ſententia mentis,
Quod facit, infectum poſt homo ſæpe cupit.
Non ſic mutatur ſuperorum æterna voluntas,
Quod ſemel inſtituit, ſtat ſine fine Deus.
Crimen adhuc nullum, labes dum nulla ſub orbe
Audita eſt, iungit corpora bina Deus.
Corpora bina pióq; vnoq; aſtringit amore,
Vt proles generent in pietate Deo.
Vult Deus agnoſci & toto celebrarier æuo,
Quare vult gigni qui ſua facta canant.
Res munda eſt ſocialis amor, pergrataq; ſummo,
Res immunda nimis, ſpurca cupido Deo.
Ergo procul Monachi, ſancti qui vincula lecti,
Carpitis, ad Stygias cedite adusq; domos.
Vſq; adeo inſulſis connubia caſta loquelis,
Dum conſpurcatis turba miniſtra Papæ:
Hoc ſatis oſtenſo vos ſigno proditis ortos,
è thalamis leges quos vetuere Dei.

Debita

Debita naturæ (canit vt Sulmonis alumnus)
Imbibit & ſequitur ſemina quiſq; ſuæ.
Nec tantum é fœda propagatur origine corpus,
Mens vobis ſpuria eſt, mœchaq; lingua ſimul.
Quare vipeream in vetitos nunc ſtringite linguam
Lectos, in caſtis garrula lingua tace.
Hinc diſcede Bia, ah tua te ſapientia fallit,
Tali coniugium dum ratione vetas.
Vel deformis erit, tibi vel ſpecioſa petenda
Vxor, ſed magnum mittit vtrunq; malum:
Nam monſtroſa parit tibi pœnas ſæpe videndo,
Communem multis ſplendida forma facit.
Id dilemma tuum non ſat ratione videtur
Firmatum, medium hoc inter vtrunq; fuit.
Nam neq; deformis mulier, formoſa nec omnis:
Tu media poteris, ſi velis, ire via.
Nec proprium vxori eſt pœnas conflare maritis
Deformi: Prudens gaudia at vxor habet.
Nec formam cures, mulier ſi caſta, probatur:
Non formam propter ducitur illa pijs.
Vt prolem generes, vites meritoria ſcorta:
Te Deus haud fœdum mandat inire thorum.
Non nego quòd leuitas formoſis ſtulta puellis
Inſit, vel formam quòd vagus vrat amor.
Hæc ſed adeſſe queunt, poſſunt quoq; prorſus abeſſe:
Formoſis leuitas non mala ſemper ineſt.
Non vxori Abræ formam natura negauit,
Et tamen hæc ſemper caſta matrona fuit.
Quid Iudith memorem, quid formoſamue Suſannam?
An leuitas illis annumeranda fuit?

Coniugi

Coniugij ergò Bias fœdus diſſuaſor honeſti,
Hinc procul impuras pergat aduſq; domos.
Nec nos quid moueant Iuuenalis verba Poetæ,
Dum fundit tales æmula Muſa ſonos:
Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta viro iuncta femella iacet.
Tu contra Solem loqueris, confictaq; cantas:
Iurgia nulla ſerit nam ſocialis amor.
Namq; haud Xantippes muliercula quæq; labellum
Continet, vt lites iurgia crebra citet.
Nec rectè absterres nos hac ratione Menander,
A thalamis caſtis, quos Deus ipſe iubet.
Exoptata vocas mala dum connubia fida,
Triſtitiam caſto dum canis eſſe thoro.
Eſt multum, fateor, fellis latitantis in iſta
Vita, quæ licito iungit amore duos.
Iam vinum deſit, nunc hic fera ſcommata vulgi
Adſunt, nunc liuor, peruigileſq; doli:
Pallenteſq; vigent morbi, duriq; labores,
Et teneræ ætatis mille pericla premunt.
Sæpe etiam media rumpuntur ſtamina vita:
Nunc dolet vxorem, nunc dolet illa virum.
Aſt pectus timidum, non mens generoſa iuuentæ,
Exiguo thalami corde pericla fugit.
Quare non etiam tali ratione moneres,
Vt fugerent omnes inclyta ſceptra viri?
Nam quot ſunt ponto guttæ, quotq; æquore piſces,
Aſtraq; quot ſtellis irradiata micant:
Quotq; atomos ſpargit Phœbus, corpuſcula parua:
Quot conchæ in ſicco littore ſæpe iacent.

Tot

Tot ſunt in ſceptris horrenda pericla regendis,
 Hîc labor, hîc caſus ſæpè timendus erit.
Ergo procul longas omnes diſcedite ad oras,
 Quorum commaculant guttura fœda thorum.
Ordinis eſt autor Deus, & ſocialis amoris,
 Cui ſeries tædæ caſta probata piæ.
Coniugium inſtituit, thalamo prodire pudico,
 Aeternum voluit qui, ſine labe, λόγον.
Coniugibusq́ pijs ſemper moderator Olympi,
 Adfuit, & ſemper ſubſidiator erit.
At ſua qui fœdis coniungunt corpora ſcortis,
 Quæ ſunt ſolius templa creata Dei.
Omnes hi infandam diuini numinis iram
 Experti, miſera clade perire ſolent.
Aedeq́ Oilëides ſancta dum in Palladis Aiax,
 Caſſandram violat, fulmine aduſtus obit.
Crimine patrato patrias ſe accingit ad oras,
 Nauem conſcendit, vela ſecunda volant.
At puppis medium dum currit in æquore pontum,
 Securus cladis dum timet ille nihil.
Ecce è ſublimi volitantia fulmina cœlo,
 Erumpunt, puppes ignis & ignis habet.
Vruntur remi, lambit malum vndiq́ flamma,
 Atq́ hauſtis vndis tum mage fulmen agit,
Sic perit exuſtus medijs ſub fluctibus Aiax,
 Sic pœnas ſtupri, ſic dedit ille, vide.
Aeſacus Eperien placida dum forte ſub vmbra
 Inſequitur, Colubri dentibus illa perit.
Ille ſed ex altis ſcopulis ſe iecit in vndas,
 Mox & cum calido ſanguine vita fugit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Sic Deus illicitos ſemper puniuit amores,
Sic ſcortatores iudicat, Ecce, Deus.
Sic dum infida viro, præclari Agamemnonis vxor,
Aegiſtoq; animum iungeret illa ſuum.
Id ſcelus id facinus Deus haud permiſit inultum:
Pignus at in matrem concitat ille ſuam.
Namq; cito matrem propriam furioſus Oreſtes,
Ceu pecudem mactat dilaniatq; ſimul.
Sic quia Semiramis proprio ſe iungere gnato
Attentat, gnati concidit enſe ſui.
Prodidit atq; Eryphyla ſuum rabioſa maritum,
Quam mox Alcmæon filius ipſe necat.
Pyramus & Thysbe Veneris cecidere furore,
Sic caſus tragicos ſpurca cupido vehit.
In ſacris poteris per multa exempla pagellis,
Aſpicere illiciti præmia dura thori.
Annon inceſtus & ſtultos propter amores,
Obruta fluctiſonis terra peribat aquis?
Sulphureo Sodomen quid fecerat igne vorari?
An non hanc triſtem ſtupra tulere luem?
Pellitur é regno Dauid, Ieſſëia proles,
Dum violat lecti fœdera ſacra ſui.
Sic Deus exemplis vehementem triſtibus iram
Inuit aduerſus tetrica ſtupra, ſuam.
Coniugÿq; Deus contra eſt promotor honeſti,
Atq; thorum largis ornat vbiq; bonis.
Quare te extolli meritò reuerende IOHANNES,
Laudibus innumeris Aonÿſq; decet.
Denuo ſacratæ iam iam quod amabile tædæ.
Cum tibi dilecta virgine fœdus inis.

Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Nec dubita caſto pietas quin grata Tonanti
Sit tua. Coniugij ſancijt ipſe decus.
Eximioq́ rudes exemplo ad fœdera lecti
Adducis populos, qui tua facta vident.
Scilicet in templis pia dum ad connubia turbam
Hortaris, damnans ſtupra nociua, tuam:
Eſſet doctori fœdum, ſi quod monet ipſe
Vt faciant alij, non ſequeretur opus.
Exemplis igitur rectè tua dogmata munis,
Quemq́ ſequantur habent æmula turba virum.
Gratulor ipſe quidem tibi quòd ſocianda puella
Sit, quæ virgineis dotibus aucta micet.
Si genus & proauos ſpectes, è ſtemmate honeſto
Atq́ pio lucem ſponſa pudica trahit
Matthias pater eſt, loca per Ripenſia notus,
Ancora qui patrio nomine nomen habet.
Nobilibus notus, nitida quoq́ notus in aula
Regis Daniaci pro grauitate ſua eſt.
Adde quod & genitrix multa pietate per vrbem
Ripenſem laté condecorata viret.
Educat hæc caſta gnatam in pietate, facitq́
Vt ſit virginibus conſociata probis.
Magdala non vnquam eſt leuibus commixta puellis,
Quarum deformi pectora amore tument.
Non ea ſpectatrix aliarum crebra domorum,
Non ſua ſæpe togam candida colla terunt.
Nec minus in vita morum veneranda bonorum
Maieſtas, alijs conſpicienda nitet.
Caſti oculi in vultu caſtum referente pudorem,
In tenera facie lumina caſta micant.

Non lingua petulans , vetitis nec geſtibus vllis
Laſciuum oſtentat ſe decorare chorum.
Haud illam forma Daphne Peneia virgo
Vinceret, hæc quamuis ſæpe petita Deis.
Non opus, electro ſimiles auroq; capillos
Illius vt Sybaris Crathis & efficiat.
Nam flaui pulcraq; decenteq; lege capilli,
Exornant faciem condecorantq; caput.
Iſta ego cur referam verbis encomia Sponſæ?
Illius haud laudes noſtra thalia capit.
Quare vt Margaridos lugebas funus ademptæ
Coniugis, & ſociæ ſtamina rupta tuæ:
Vtq; ipſam grauiter flebas, & inania morti
Cum gemitu lacrymas munera ſæpe dabas:
Sic poſita cura, poſitoq; dolore Iohannes,
Dulcia nunc cupida gaudia mente cape.
Lætare, & Domino grates perſoluito dignas,
Denuo quòd ſociam iunxerit ipſe piam.
Dulcia nunc cupida quoq; gaudia concipe mente
Magdala, quòd tanto digna reperta viro es.
Eius virtutes, inſignia dona Mineruæ,
Aſpicito, & cari quæ ſit origo viri.
Hugomius genuit fœlici hunc ſydere Thomas,
Qui fido Chriſti pectore verba docet.
Hunc pariens quondam claros produxit ad ortus,
Anna ſalutifero fida miniſtra Deo.
Fecerat hæc Thomam bis ſena prole parentem,
Sed ſponſo dedit hæc vbera prima tuo.
Illorum eximij mores & vita probata,
Sunt cunctis noti, quos bona Ripa tenet.

N

Nil opus eſt igitur verboſius iſta ſonare,
Quæ fateor vires exuperare meas.
Quin potius proprias dilecti aduertere dotes,
Magdala te ſponſi te pia virgo decet.
Non tantum Aönias Phœbo ducente ſecutus
Muſas, Parnaſi quæ iuga montis amant.
Sed mage ſaluifici didicit pia dogmata Chriſti,
Vnde hominum generi certa petenda ſalus.
Non tamen ignorat Schola quid dedit alma Platonis,
Hunc nec Ariſtotelis culta ſophia latet.
Moribus ornatur placidis, ô ſponſa, maritus,
Solamenq; tibi nocte dieq; dabit.
Liqueris & poſtq̄ venerandi limina patris,
Expectes crebrò gaudia iuſta thori.
Magdalis ergò tibi talem formoſa maritum
Gratulor, & ſponſam, vir reuerende, tibi.
Plura ego dixiſſem, ſed nunc ferit æthera clangor,
Tympana pulſa ſonant, ſplendida pompa venit.
Sponſa venit ſenſim, magna comitante caterua,
Sponſa venit ſenſim, tu quoq; Sponſe veni.
O venerande ſenex lateri te adiungito
Doctiloqui, & tædas ſic de
Tu quoq; Paule veni ſenſim, doc
Cui nomen meritò Strobia
Ancorides tu carpe viam ven
Tuq; veni, Aonio iungere
Lagoni venias ſponſo cariſsime noſ.
Adſis ô lepidum tuq; Iacobe caput.
Ordine procedat lectiſsima turba virorum,
Quorum virtutes Muſaq; nota viget.

C iij Ite

Ite & ſacratam ſponſum deducite ad ædem,
Et pia munifico fundite vota Deo.
Tuq; Matronarum venias caſtiſsima turba,
Turba puellarum tu quoq; pulchra veni.
Ite & ſacratas ſponſam deducite ad ædes.
Et pia munifico fundite vota Deo,
Hîc dextris iunctis connubia ſacra Sacerdos,
Mandato faciat non ſoluenda Dei.
Inde ſed [illegible]greſsis firmato fœdere amoris,
Ecce para[illegible]a patet Curia, magna domus.
Huc [illegible]trate cito lautaſq; accedite menſas,
Menſas ornabunt Bacchus & alma Ceres.
Vos dulces recreent cytharæ, ſaltusq; decentes,
Saltet & ad pulchram pulchra puella manum.
Aſpiciet ſponſam ſponſus, tum lumine claro
Aſpiciet ſponſum ſponſaq; quæq; ſuum.
Tympana Regales reſonent imitantia menſas,
Harboicoſq; ſonent Screppia dura modos.
Sitis vos hilares: Medio nam Chriſtus in albo
Veſtrûm magnifica conſidet ipſe manu.
Huius vt [illegible]ſis conſeruet dextera rebus
Co[illegible]ctos ſedulus ipſe precor.
[illegible]cto regat atq; gubernet,
[illegible] protegat, ornet. Amen.

[illegible] V

Iam noua IOHANN[illegible] noua concipe gaudia vultu
Magdalis in [illegible]alamos tranſit amata tuos.
Viuite felices æ[illegible]num, viuite Chriſto,
Vna qui in[illegible] viuere carne duos.



REMIGIO VENTISQVE
SECVNDIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
G 14470 4° UB-boks: Bibl. Dan. III, sp. 1514 (LN 1342)